



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xvi. De adulteriis, & stupro.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## De cler. Sagit. & Adult. &c.

2. *Ad  
audientia*

Hæc ita demum, si huc animo pugnandi accessit, obseruantor. Sin alterius rei ergo, causa fortè debita recipiundi (maximè si Eucharistiæ & oleum suscepit) secus esto.

### *De Clericis pugnantibus in duello. Tit. 14.*

1. *Porro.*

**C**LERICVS monachus, siue duellum obtrahit, siue suscepit, victor, victusve deponitor. Si tamen mors, membrorumve mutilatio sequuta non fiet: episcopus cum eo dispensare valet.

2. *Henricus.*

Clericus autem nedum si per se ipse occidat, sed & si pugilem supposuerit qui aduersarium interficiat (ni cum eo circa habendum beneficium dispensabitur) irregularis esto. Consuetudo regionis ne excusato. Homicidium enim factum, præcepto, consilio, defensione perpetrari intellegitor.

### *De Sagittariis. Tit. 15.*

1. *Artem*

**A**RS sagittariorum aduersus catholicos sub pœna anathematis ne exercetor.

### *De Adulteriis, & Stupro. Tit. 16.*

#### *De adulteriis.*

4. *Mari-  
tis.*

**M**ARITO etiam ex suspitione vxorem ad-  
cusare licet. Is enim plus cæteris de adul-  
terio & adcusare & defendere valet.

Quod si



Quod si scierit eam deliquisse, quæ tamen <sup>3. Si vir.</sup> non pœnituerit, sed in fornicatione manserit, & vixerit cum ea: eius peccati reus esto. Sin ea pœnituerit, & reuerti volet: is eam aliquotiens, at non sæpe, recipito.

Si tamen mulier viri restitutionem petet, & <sup>6. Intelleximus.</sup> is de adulterio excipiet: nisi adulteratus fuerit, <sup>7. Tua.</sup> eam recipere ne cogitor. Nã si adulteratus erit: paria delicta compensatione tolluntur.

Ad solam autem mulieris cõfessionem si cum <sup>5. Significasti.</sup> sacerdote adulteratum adferentis sacerdos ne punitur. Sanè infamato purgatio indicitor. hanc si debite præstabit: absoluitur. sin deficiet: ab officio suspenditor.

*Et stupro.*

**Q**VI virginem stuprauit is eam vxorem ha- <sup>2. Peruenit.</sup> beto. Alioquin si renuet: corporaliter castigatus, & excommunicatus in monasterium, in quo pœniteat, retrudito.

Nedum autem vxorem habeto, sed & dota- <sup>1. Si seduxerit.</sup> to. quod si pater eam olli nubtui conlocare nolet: nihilominus dotato. dos, iuxta modum, quem virgines accipere consuerunt, constituitur.

*De Raptoribus. Tit. 17.*

**Q**UID si quis puellam rapserit? Certè si <sup>7. Accedens.</sup> reconciliati erunt, & legitime persone fient: insimul contrahunt.

Quod si faxint, & matrimonium consum- <sup>6. Cũ causa. 7. De iur. 8. Præterea.</sup> matum erit: iam alteri sine alterius adsensu mo-